



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Habitne Christus D. has passiones. C. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78809](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78809)

CAPVT NONVM

Habuitne Christus Dominus Passiones?

16. Aug. l. 4. ciu. c. 8. 6. Synod. Act. 4. 8. 11. 17. S. Th. 3. p. q. 15. a. 4. & seqq. Ber. S. de verbis O. rig. 3. p. q. 18. a. 2.

Mar. 14. 33. Matth. 26. 38. Mai. 13. 3. Mar. 3. 5. Hier. in c. 26. Mat. in cap. cont. Ber. S. 1. de S. And. Ioan. 11. 33.

1. 10. Trin. in 3. d. 15. fin. 3. p. q. 15. a. 5. ad 1.

17. l. 9. ciu. c. 5. fin.

Respondet; habuit. Quia enim veram humanam carnem & animam substantiam suscepit, inquit S. Bernardus, veram viriisque naturam, nec corporis illi defuerant, nec animae passiones. Unde S. Thomas ex professo probat, in Christo fuisse appetitum sensituum, qui sensualitas dicitur, quia humanam naturam assumpsit cum omnibus quae pertinent ad perfectionem humanae naturae, in qua includitur etiam natura animalis, sicut in speciei includitur genus, ad perfectionem autem naturae animalis pertinet appetitus sensituum. Sed passiones in Christo non exurgebant contra, vel praeter rationem, verum tunc tantum, quando iis perfectissimo dominio imperabat, ut suos actus elicerent. Sic in horto ante Passionem timuit, & tristatus est: sic gaudebat, amabat, dolebat, iratus est, deo hos in illo affectus, quia perfectissimo rationis imperio ad minimum nutum obediebant, exurgendo, & dextrando, & cessando pro eius libitu, appellandos esse S. Hieronymus non passiones, sed pro passionibus.

Sic, ut ait S. Bernardus in Lazari suscitacione, in se inuicem spiritus, & turbauit se ipsum non conditionis necessitate, sed sua beneplacito voluntatis. Infirmus, inquit Theophrastus, in affectionem spirituum. Quia enim contristatus fuit, homo enim erat verus, & ut credibilis esset humana natura, permisit illi proprium operari, & asperere tractas carnem, increpata, eam spiritus S. virtute: itaque caro non serens increpationem, turbatur, & fremit, & cum merore pugnat. Nihil tamen rem exaggerauit Theophrastus.

Præterea nunquam eum impediabant in rebus bonis, non resistebant rationi, non aggravabant corpus, non obtuscabant rationem, quae omnia in nobis efficiunt.

Quando ergo S. Hilarius negare videtur passiones fuisse in Christo, de talibus passionibus loquitur, quae, sicut in nobis, sentiantur ex necessitate peccati, ut ex ipsius verbis ostendit Magister sententiarum, & S. Thomas.

CAPVT DECIMVM

Suntne passiones in Angelis, & in Deo? Respondetur enim esse, quia & Angelis & Deo Scriptura attribuit, iram, dolorem, gaudium &c.

Respondet cum S. Augustino: Sancti Angeli cum sine ira puniant, quos accipit tum aeterna Dei lege puniendos, & miseris sine misericordia compassione subueniant, & periclitantibus eis quos diligunt sine timore opulentur. Etiam istarum ratione

passionum consuetudine locutionis humanae, etiam in eos usurpantur propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem. Sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen illa passione turbatur. Hoc enim verbum vindicta usurpauit effectus, non illius turbulenti affectus.

Qua de re eleganter scripsit S. Isidorus Peliota: Scelerum correctionem atque animaduersionem, quam Deus emendationis nostrae causa efficit, nec iram, nec indignationem vocare debemus, verum potius admonitionem. Quod si hanc quoque iram nonnulli esse existimant, hinc etiam ipseus erga hominum genus benevolentiam predicant, dum Deum propter homines, quorum causa humanitatem etiam induit, ad affectum descendere arbitrantur.

Metaphorica ergo est locutio, dum Deo in S. Scriptura adscribuntur passiones aliqua, ob effectus bonos, qui in nobis solent ex similibus passionibus provenire. Ita hoc explicat Patres, Origenes, Basiliius, Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus, Lactantius, Damascenus cum S. Thoma.

CAPVT VNDECIMVM

Fueruntne Passiones in Adamo ante peccatum?

Respondet fuerunt, sed ordinatae, & non omnes quae nunc sunt in nobis, nec eo modo quo sunt in nobis.

Primo enim passiones illae, quae respiciunt malum, non fuerunt, ut timor, dolor, & huiusmodi.

Secundo, Nec illae passiones fuerunt, quae respiciunt bonum non habitum, & tunc habendum, ut cupiditas aestuans.

Tertio, Passiones quae possunt esse boni praesentis, ut gaudium, & amor, & quae sunt futuri boni in suo tempore habendi, ut desiderium & spes non affligens, fuerunt.

Quod praeter S. Thomam paulo ante citatum, sic explicauerat antea S. Augustinus: Quid timere vel dolere poterant illi homines (scilicet in statu innocentiae paradisiacae) in tantorum tantae affluentiae bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipsos ferretur, nec inerat, quod carnem animumque hominis feliciter viuientis offenderet. Amor erat imperturbatus in Deum, atque inter se coniugum fida & sincera societas viuientium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabat ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati, quae manente nullum omnino alunde malum, quod contisteret, iruebat.

Quarto, Passiones quae respiciunt bonum sine vlla molestia, ut Amor, gaudium, & similes, erant in illo statu sed perfectissime subiectae rationi cum suo appetitu sensitivo: quae subiectio sita erat in his,

